



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**[Claudio Lalano Sodali Svo I. B. Santolius V.]**

**Santeul, Jean de**

**[S.I.], 1670**

Ad Jac. Ben. Bossuetum Episc. Condom. S. P. Delphini Praeceptorem. In  
maledicu latini carminis detractorem. Elegia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13421**



A D

JAC. BEN. BOSSUETUM

EPISC. CONDOM.

S. P. DELPHINI

PRÆCEPTOREM.

*In maledicuum latini carminis detractorem.*

## E L E G I A.

**Q**UIS BOSSUETE furor, quis me novus  
impedit hostis?

Quæ nova in immeritum detonat ira caput?  
Scilicet Ausonios semper fortuna Poëtas  
Obruert, & versâ deprimet usque rotâ.  
Ecce vides quam dura premat fors vndique Musas,  
Durâ forte tamen durior ille fuit.  
Ille meum audaci confudit carmine carmen,  
Risit & insulsis scripta latina jocis.  
Vindictæ indulgens, quos nunquam sensit amicos,  
Imbelli senior provocat ense Deos.

Invocat Archilochi rabiem , insanosque furores ,  
 Afflavit tremulum quis Deus ille senem ?  
 Non Deus ille fuit : flammam hanc , hos suscitat  
 ignes  
 Ira , per insulso mollior ira sales.  
 Demens ! qui mites vocat ad certamina Musas ,  
 Duraque fœmineas poscit in arma manus .  
 Illum si calami teneat tam dira cupido ,  
 ( Nam sua sunt doctis prælia docta viris . )  
 In miseros vates , tales exerceat iras ,  
 Et mites Elegos mitis & ipse legat .  
 Otia pacis amant scribentes docta camœnæ ,  
 Quæ mulcent animos , dedecet ira Deas .  
 Quid me ergo rabido ore petit , latiosque  
 Poëtas ,  
 Insequitur numeris durior ipse suis .  
 Ah ! malè tunc pereant , per me licet , optima  
 vatum  
 Carmina , quis curet talia , nullus erit .  
 Romani suimus , jam ingloria turba , Poetæ ;  
 Nostraque sub multo pulvere scripta jacent .  
 Quin etiam insculpto quæ quondam inscrisimus  
 auro ,  
 Tot tituli , regum tot monumenta ruant .

Quenquam ô ! Palladiæ semper florebitis Artes,  
 Vos modo DELPHINUS , quem docuistis , amet  
 Si faveat , Luparam penetrabimus , arma fatelles  
 Ponet , & ire viâ liberiore dabit.  
 Crescent inde Artes , crescit decus inde latinum,  
 Et suus Antiquis restituetur honos.  
 Jam lituos & plectra , tubas , calamosque paramus ,  
 Major anhelanti personat ore Deus.  
 Et taceam BOSSUETE , tuo dum pendet ab ore  
 Quem fingis regno , Regius ille puer?  
 Ille meos , quos musa jubet tibi scribere versus ,  
 Spero equidem hos versus , teque legente , leget.  
 Et nos FERNANDUS , cui Lippia subiicit vrnam ,  
 Nos , dum sæva tonant vndique bella , legit.  
 Barbaries nunquam atque vagæ inconstantia linguae  
 Mutabit nostros , quos legis usque , modos.  
 Et penetrant aulas , penetrant & limina regum  
 Carmina , quin manes non subiere semel.  
 Unde tot Elysiis nuper mala murmura campis ?  
 Omnis turbata est , ingemuitque domus .  
 Pallidior visa est magni quoque CÆSARIS  
 umbra ,  
 Et GERMANICUS hinc , DRUSUS & inde  
 fugit .

Occuluit vultus magnus C A T O , vincimur,  
inquit;

Romaque Romanos non tulit vna duces.

Scilicet illa recens manes descenderat imos,

Terruerat latios quæ cita fama viros:

Rheni perdomitos gallo sub Principe fluctus

Vulgabat, numeris docte R U A E E tuis.

Illam Vmbræ, manes latij audivere sonantem,

*Illic Gallorum non darur ore loqui.*

C O M M I R I Elysiae repetebant carmina valles,

Carmina pindaricis æquiparanda modis.

Audierant jam PERERIOS sacra agmina cantus,

Quos dudum Flaccus creditit esse suos.

Nec non ancipitis firmabat pectora turbæ

C O S S A R T I ausoniis vmbra recepta jugis.

Sed quid ego hæc ? latias D E L P H I N V S . amaverit

Artes,

Protinus ausoniâ personet aula tubâ.

